



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita B. Francisci Salesii, Episcopi Et Principis Gebennensivm Meritissimi

Maupas du Tour, Henri Chauchon de

Coloniæ Ubiorum, 1663

Cap. III. De amore proximi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42882

Si non estis gratiosæ apud alias, facite ut vos status ille delectet: etenim humilia Dominus libenter respicit; estque illi semper acceptissima contemptio, abjectioque à qua non refugias.

Ex variis abjectionis generibus, optima illa est, quam non elegeris, quæque magis à naturæ sensu abhorreat.

Sincera Humilitas à dignitatum quidem gradibus abhorret; verùm non eos cum pervicaci animi obstinatione repudiat, non eos dum imperantur, detrectans eo nomine, quòd se ipsis indignam agnoscat; tunc enim sibi ipsa inde satisfacit, quòd Deo paret ad ea omnia suscipienda quæ à Prælatibus imperantur.

Est id demum celsissimæ Humilitatis, in contemptu, in derelictione, in obscuritate interiori, in eo statu, in quo efficere nihil valeas, tranquillitatem mentis retinere, cuncta hæc amplectendo amandoque haud fucatè.

C A P U T III.

De amore proximi.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. (a) Hæc verba sunt, filix in Christo carissimæ, illius quem pro vitæ morumque vestrorum absolutissimo exemplari vobis ipsæ sumpsistis, JESU Christi Salvatoris, quibus vos ipsæ ad acquirendam sanctam illam proximi dilectionem invitatur, in illum intuendo tanquam in operæ pretium Dei, ejusdemque vivam ac spirantem imaginem.

Cc 4

nem.

(a) Ioan. 13.

nem, quæ vestrum, proximum eundem lenitate & obsequio prævenerint, eæ fidelius JESUM Christum imitabuntur.

Nulum acceptius Deo Sacrificium offerre possitis, carissimæ filiæ, quàm ut non tantùm solidè, sed etiam tenero animo, dulciter, suaviter diligatis eos, quos magis naturæ vestræ proclivitas averferur. Blanditias exhibete adversus infirmas, tertricas, eâsque quæ motuosiores vobis videbuntur, earum defectus excusate, quantum sinet vera dilectio: atque illud mementote, istiusmodi naturæ vitia præclaram scholam esse, iis quidem qui affligentis ad sunt, certissimæ caritatis; iis autem qui affliguntur ipsi, patientiæ, conjunctæ cum amore Dei. Videlicet horum alteri ad Crucis partem immam consistunt cum sanctâ Deiparâ; alteri in ipsa Cruce versantur cum Christo, cujus cruciatuum accepti- bitatem suo modo imitantur.

Ex istius caritatis præscripto, diligere proximum debetis sicut vos ipsas, non amore ad sensum adhærescente, neque naturali, neque sua sequente compendia, sed casto, constantique: nam amor illorum vester si sensibus immergitur, & bonitate carebit, & formâ: sin ejus fundamentum Deo nitetur, tum verò habebit pretium: atque adeò sinite illum sanè, si istiusmodi erit, agere radices vestras in mentibus quàm poterit altissimas: præstans enim erit profectò, tum quia à Deo proficiet, tum quia feretur in Deum, tum quia ejus vinculum Deus idem erit, tum quia in Deo extabit vigebitque in tempus perpetuum.

CAPUT